



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

L. De his qui inter se pacem non habent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
CHRISTI
439.

L.

Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab ecclesiasticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrant.

L I.

Si expositus ante ecclesiam cuiuscumque fuerit miseracione collectus, contestationis ponat epistolam. & si is qui collectus est, intra decem dies quaesitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post praedictum tempus calumniator extiterit, vt homicida, ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.

Dist. 87.
Si expositus.

Conc. Valente. Can. 10.

L II.

De puellis quae se vouerunt Deo, & praclari decore nominis floruerunt, si post viginti & quinque annos aetatis ad terrenas nuptias sponte transferint, id custodiendum esse decreuimus, vt cum his, cum quibus se alligauerint, communione priuentur: ita vt eis postulantibus poenitentia non negetur; cuius poenitentiae communio multo tempore differatur.

L III.

Si quis famulorum cuiuslibet conditionis aut generis, quasi ad exacerbendam domini districtionem, se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad dominum sceleris alieni pertinebit inuidia.

L IV.

Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, vt primo loco venalitate, vel ambitio-